Est liber iste eccle[sie] beati Petri de monte marie

i.

Epistola beati Ignacii epi[scopi] ad beatum Iohannem apostolum et evangelistam.

Iohanni sancto seniori suus Ignatius et qui cum eo sunt fratres. De tua mora dolemus graviter. consolacionibus et allocucionibus tuis roborandi. Si tua absentia protelatur. multos de nostris destituet. properes igitur venire quia credimus. Sunt enim multe de nostris mulieres. mariam ihesu videre cupientes et cotidie a nobis discurrere volentes ut eam contingant et ubera eius tractent. que dominum ihesum aluerunt. et quedam eius secretiora percunctentur. Ipsam enim salome quam diligis filia anne. iherosolimis quinque mensibus apud eam commorans. et quedam nota referunt eam omnium graciarum habundantem et omnium virtutum fecundam. et ut dicunt in tribulacionibus et persecucionibus est hilaris. in penuriis et indigentiis non querula. iniuriantibus grata. molestata letatur. miseris et afflictis coafflicta dolet. et subvenire non pigritatur. humilibus et devota. devotis devotius humiliatur. Sunt nove religionis pennis et magistra. et apud fideles omnium pietatum operum et ministra. et mirifice ab omnibus magnificatur. cum a scribis et a phariseis ei detrahatur. Preterea multi multa referunt de eadem. Sed enim scio non audemus per omnia omnibus fidem concedere nec tibi referre. Sed ut nobis a fidedignis narratur. maria ihesu nichil sancti[tati] natura angelice sociatur. Et hec omnia excitaverunt viscera nostra et cogunt valde desiderare aspectum eius. Tu autem et nunc et desiderio nostro dispone et valeas.

Epistola beati Ignatii epi[scopi] ad gloriosam virginem mariam.

Christifere marie suus Ignatius. Me neophitum iohannis discipulum consolari et confortare debueras. De ihesu enim tuo percepi mira dictu et stupefactus sum ex auditu. Te autem que semper fuisti familiaris coniuncta et secretorum eius conscia desidero ex animo certior fieri de auditis. Valeas et neophiti qui mecum sunt per te et ex te confortentur.

Epistola gloriose virginis marie ad beatum Ignatium epi[scopum].

Ignatio dilecto et condiscipulo humilis ancilla christi ihesu. De ihesu que a iohanne audisti et didicisti vera sunt. Illa credas. illi inhereas. caritatis votum firmiter teneas. et mores et vitam voto conformes. Sta et viriliter age in fide. nec te commoveat persecucionis austeritas. Sed vale. et exultet spiritus tuus in deo salutari tuo.

Bis et consideravi ... nos ... diligere ... de deo

Item quedam ... veteris ... testatur

Item vita ... hervici

LANDES- UND STADT- BIBLIOTHEK DÜSSELDORF